



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**


Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Prooemium operis. Cap. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918



STEPHANI THEVPOLI

BENED. F. PATR.

VENETI,

ACADEMICARVM CONTEMPLA-
tionum Liber I.

DE DEO.

CAP. I. *Quod est operis Proœmium.*

DVO humanæ sapientiæ lumina,
iam diu adeò refulserunt, Plato
& Arist. vt cætera ferè omnia de-
lituerint; ea verò indies maiora,
splendidioraque reddita sint: &
propterea sperandum est, eadem in posterum
quoque diu fore illustria conseruâda. Ac sanè
nemo vnquam extitit, nisi quis fortasse mentis
acie penitus destitutus, qui in ea conuersus,
non summopere illa commendauerit, ac ad-
miratus sit. Neque verò iniuria. Nam Plato, &
Arist. præter id, quòd eximio valuerunt inge-
nio, etiam accurato labore, & auxilio summo-
rum Principum, cæterorum sapientum in-
uenta in vsum proprium cõuerterunt; eaque
vel auxerunt, vel illustrarunt, vel ordinarunt:

adeò, vt qui eos sectatur, non duos solos homines sibi duces statuatur: sed vniuersam Barbarorum, & Græcorum priscam sapientiam, ac vna illustrium omnium ingeniorum, quotquot post eos floruerunt, consensum, & approbationem. Inter eos verò, qui per Regiam hanc sapientiæ viam progressi sunt, hæc apparuit conspicua diuersitas; quòd nonnulli studio vel Platonis, vel Arist. vehemèter delectati, alterum penitus neglexerunt; alij vtrunque admirati, induci non potuerunt, vt crederent eos re vera esse discordes; & præsertim, quia ex veteri Platonis Academia, tanquam ex fonte, Peripatetica sapientia defluxit; cum Plato Aristotelem, plurimos annos instruxerit, ac erudierit; propterea de eorum concilio summo perè fuerunt solliciti. Hos ego nunquam omni ex parte potui commendare: non primos; quoniam qui alterum eorum despicit, sponte se vno orbare oculo videtur, ex quo in alterum plurimum virtutis manat. Præclari enim spiritus, ex Academia in Lyceum, & ex Lyceo in Academiam diffunduntur: adeò vt qui ad vnum eorum sibi viam præcludit, nec alterius munere valeat cumulata perfungi. longè etiam minùs eos commendandos duxi, qui pro Concilio laborarunt. Hi nanque, dum sententias varias ex distinctis initiis ortas in vnam redigere tentant; modò vnam, modò alteram, & frequenter vtrunque, nõ sine perniciofa confusione peruertere coguntur: quod

Sim-

Simplicio, & aliis frequenter contigisse, facile est animaduertere. Propterea longè satius esse duxi in vtriusque disciplina accuratè versari: ita tamen, vt primò ab Arist. methodum, ordinem, scientiarumq; gradus addiscamus; mox ita parati, ad Platonis vberimos fontes accedamus; ex eisque tantum hauriamus aquæ, vt Peripatetica disciplina ex se angustior, reddatur latior; ac inde quosdam, quasi salutes recipiens spiritus, per eos reddatur viuacior, fulgeat magis, ac fœlici⁹ ad superna deducat. dum verò in eorum controuersias incidimus, accuratè vtriusque vias, initia, & fundamenta perpendèda duxi; mox iudiciū esse tradendū, an lis sit solūm in verbis, vt nonnunqua contingit; vel potiùs sit in sententia, vt re vera est. dum de rebus potioribus apud eos est disputatio: veluti de dependentia Mundi à Deo, de Ideis, de cognitione Dei, de modo acquirendæ scientiam, & similibus: in qua quidem controuersia dum versamur, cogimur deinde, vel vni, vel alteri parti magis adhærere: & cum vtrunque veneremur, ei adhærendum maximè est, cum quo ratio magis videbitur consentire. Sic seruandæ sunt viæ distinctæ, nō autem implicandæ, & confundendæ: sic debet consurgere opus de placitis vtriusque, non autem de inuito consensu: cum frequenter cōspicua sit dissensio: sic demum in conuenientem vsum conuertemus inuenta vtriusque, & animum nostrum cumulatè exornabimus. Non

me latet apprimè esse arduum, in eorum dis-
 fensione partem potiorem eligere: dum enim
 inter se duo illa præclara ingenia pugnât, ma-
 nifestè indicant, in re adeò obscura versari, vt
 nobis non liceat conspicuè veritatem inspice-
 re. attamen exercendum est ingenium, & pro
 facultate nitendum, vt per accuratam senten-
 tiarum discussionem splendor aliquis verita-
 tis refulgeat. Nec nos fugere debet, humanam
 rationè in rebus arduis facilè labi, & frequen-
 ter in deteriore partem declinare. Propter
 ea dum nitidam veritatem intueri cupimus;
 post lites Philosophorum, animi vniuersam
 aciem in Solem veritatis nobis munere fidei
 Diuina reuelatione patefactum, conuertere
 debemus: & in eo felicissimè conuiescere.
 Quoniam itaque dum versamur in attinenti-
 bus ad humanam sapientiam, maximi facere
 debemus cùm Platonem, tum Aristotelem; &
 quoniam varij attinentia ad Arist. latissimè, &
 eruditissimè explicarunt; consilium meum
 est de Platonis doctrina verba facere, eam pro
 viribus in ordinem redigere, & illustrare, ac
 simul cum doctrina Peripatetica eadem com-
 parare; vt inde appareat mirus cōsensus par-
 tium eius inter se; sententiarum frequentia,
 & splendor, quàm iniuria frequenter à Peris-
 pateticis culpetur, quàm pios nos reddat erga
 Deum, & demum quàm maximè cum nostris
 Theologis in multis conueniat. Magni profe-
 ctò sunt mei ausus, & lógè meis viribus impa-
 res:

res: iuueni tamen, qui non ambitionis spiritu elatus, non inani ostentatione ductus; sed desiderio addiscendi excitatus, magna aggreditur, plurima sunt condonanda. Ita nanque ingenium exercebo; à sapientioribus corrigi potero; & sublimioribus ingeniis occasionem præbebo, rem minùs maturè tentatam, & adumbratam potiùs, quàm explicatam, absol- uendi, ac perficiendi.

De modo cognoscendi DEVM.

CAP. II.



Etus Academia: vt olim sublimium ingeniorum frequètia, miraque eorum ad ingenuas disciplinas conspiratione accuratè excolta, præclaros edidit fructus; ita nunc, vel ob illustrium ingeniorum inopiam, vel potiùs, ob eorundem prauam affuetudinem, lucrique cupiditatem, neglecta, inculta, sterilisque conspicitur; ad eò, vt non ampliùs Augustinos, Dionysios, Aristoteles, Zenocrates, Plotinos, Iamblicos, Ammonios, similesque sapientiæ splendoros emittat. Verùm quia nos non multos, sed paucos, eosque sapientes sectari tenemur; propterea vniuersam Academiam, quasi stadium decursurus, illustrioresque eius sententias è tenebris in lucem, & ex otio in puluerem pro facultate reuocaturus; Platonein principem imitabor, qui in operis cuiusque initio Deum præcipit inuocandum. Et quoniam præcipua